



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Eisdem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

tre nostro Lugdunen. Archiepiscopo super dilapidatione & insufficientia in causam trahentibus, tu apost. sedis audientiam appellaris, festum beati Lucae proximò futurum terminum appellationi prosequenda præfigens; quem iidem Canonici ad Dominicam qua cantatur *Iubilate Deo* proximò præteritam, sicut eorum continebant litera, coardarunt. Nos igitur utrique partium deferre volentes, ne sub intemperie aëris & caloris distemperantia cogamini ad sedem apostolicam laborare, fraternitati tuæ sub peremptorio per apostolica scripta mandamus, quatenus hinc ad festum beati Michaëlis proximò futurum apostolico te conspectui repræsentans, Canonico- rum responsurus objectis, & propositurus si quid proponere volueris contra ipsos, nisi forsan interim inter vos pacis possint fœdera reformari. Scias autem nos partem adversam ad eundem terminum citavisse, ita ut illi quorum nomina per tuas nobis literas expressisti, personaliter ad nos accedant, his quæ proposueris responsuri. Ad hæc, tibi fortius inhibemus, ne occasione hujus discordiæ bona Ecclesia tuæ dilapidare præsumas. Datum ut supra.

ATREBATEN. ET SYLVANECT.  
Episcopis.

Epist. 185.

**P**la patrum prædecessorūque nostrorum sollicitudo. *Require superius epistola CLXXII. Et sicut scriptum est pro Ecclesia S. Germani de Pratis, ita scriptum est pro monasterio sancti Dionysii in Parisiensi diocesi constituto.*

ABBATI ET CONVENTUI  
sancti Germani Antisiodoren.

Epist. 184.  
Quod excommunicatio Episcopi Antisiodorensis injusta, & contra juris ordinem inflicta, non obliget.  
Vide *Gesta Abbatum S. Germ. Antis.* c. 13.

**G**ravis ex parte vestra fuit in auditorio nostro querela proposita, quod venerabilis frater noster Antisiodoren. Episcopus & Presbyteri ejusdem diocesis homines vestros absque manifesta & rationabili causa, non servato juris ordine, excommunicationi subjiciunt pro sua arbitrio voluntatis. Volentes igitur gravamini vestro paterna sollicitudine providere, si prædictus Episcopus & Presbyteri in homines vestros excommunicationis sententiam absque manifesta & rationabili causa, & juris ordine non servato, duxerint promulgandam, eam decrevimus non tenere, & vos auctoritate apostolica divina eis officia ce-

lebretis. Nulli ergo &c. Datum &c. ut supra, xvii. Kalend. Iunii.

E I S D E M.

**C**vm venerabilis frater noster Antisiodoren. Episcopus usque adeo (sicut dicitis) sit vobis infestus, ut de parochianis suis malefactoribus vestris per eum justitiam non possitis habere, nobis imminet providendum, ne pro defectu juris monasterium vestrum violentiis pateat & incurribus malignorum. Eapropter, dilecti filij, præsentibus vobis literis indulgemus, ut ad venerabilem fratrem nostrum Senonen. Archiepiscopum pro coercendis ipsis malefactoribus vestris recursum habere possitis, qui defectum ipsius Episcopi de auctoritate nostra debeat in hac parte supplere. Nulli ergo &c. Datum ut supra.

EPISC. ET DECAN. MATISCON.

**E**xposita nobis Eduen. Ecclesia peritio continebat, quod cum olim felicis recordationis Celestino Papæ prædecessori nostro deposuissent de Balmen. monachis quæstionem, de terris & Ecclesiis in valle Polliniaci constitutis, & idem prædecessor noster causam ipsam venerabili fratri Cabilonen. Episcopo & dilecto filio Abbati de Firmitate commississet sine debito terminandam, a præfatis tandem monachis fuit ab eisdem iudicibus appellatum. Ille verò qui Abbas ipsius monasterij dicebatur, ad prosequendam appellationem accedens, semel se tantum apostolico conspectui præsentavit, & de appellatione facta mentionem faciens, illicentiatus recessit. Cumque nuncius Eduen. Ecclesie ad appellationem prosequendam ad sedem apostolicam destinatus apud eam fuisset longo tempore commoratus, idem prædecessor noster peremptoriè citavit monachos antedictos, eis sub excommunicationis pena præcipiens ut ille qui se gerebat Abbatem, cum aliquibus ipsius monasterij monachis in festo beati Lucae proximò præterito ab ejus præsentiam sufficienter instructi accederent, ut Eduen. Ecclesie plenariè responderent, & satisfacerent Romanæ Ecclesie de contemptu. Ipsi verò licet juxta formam mandati apostolici non venissent, quidam tamen monachorum ad Romanam Ecclesiam accesserunt, quos nuncius præfatus Eduen. Ecclesie invenit

Epist. 187.  
Quod licet Archiepiscopum Senonensem pro justitia adire, si Antisiodorensis eam administrare negligat.

Epist. 186.  
Eis communitur causa Ecclesie Eduensis & cenobij Balmenis.

Epist. 187.  
Venerabilis frater noster Episcopus Cabilonen. & dilecti filij Abbatum Firmitatis & Balmenis.